Unde cesset et arcuatum uulnus contra nos insurgens
scorpius et sanctum opus uenenata carpere lingua
desistat ut suscipiens si placet uel contemnens
si displicet memineritque illorum uersuum.
O s tuum habundauit malitia et lingua tua
concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum
loquebaris et aduersus filium matris tuae pone
bas scandalum. Haec fecisti et tacui existimasti
inique quod ero tui similis. Arguam te et statu
am illa contra faciem tuam. Quae enim
audientis utilitas est nos laborare sudare et alios
detrahendo laborare dolere Iudaeos quod calum
niandi eis et inridendi Christianos sit ablata
occasio et ecclesiae homines id despicere immo
lacerare unde aduersarii torqueantur. Quod si in eis
tantum in interpretatione placet quae et mihi non
displicet et nihil ex ea rescribendum putant
quia ea quae sub asteriscis et obelis ut addita
sunt uel amputata legunt et non legunt.
Q uare Danihelem iuxta Theodotionis translatio
nem ecclesiae susceperunt. Quid Origenem miran
tur et Eusebium Pamphili cunctas editiones
similiter disserentes uitaque sua scilicet iu
post quam uera dixerunt pro certo quae falsa sunt.
U nde autem in nouo testamento probare poterunt
adsumpta testimonia quae in libris ueteribus non
habentur. Haec diximus ne omnino calumnian
tibus tacere uideremur. Ceterum post sanctae Paule
dormitionem cuius uita uirtutis exemplum est
et hos libros quos Eustochio uirgini Christi negare
non potui decreuimus dum spiritus hos regit artus
prophetarum explanationi incumbere et
omissum iam diu opus quodam postliminio
repetere praesertim cum et admirabilis sanctusque uir
Pammachius hoc idem litteris flagitet et nos
ad patriam festinantes mortiferos sirenarum
cantus surda debeamus aure transire.

EXPLICIT PREFATIO SCI IHERONIMI

INCIPIT LIBER IOSUE

ET FACTUM EST
ut post mortem Mosi
serui Domini loqueretur Dominus
ad Iosue filium Nun ministrum
Mosi et diceret ei. Moses seruus meus mortuus est.
surge et transi Iordanem
istum tu et omnis populus tecum
in terram quam ego dabo
filiis Israhel. Omnem locum
quem calcauerit uestigium pedis uestri uobis tradam.
sicut locutus sum Mosi a deserto et Libano usque ad
fluuium magnum Eufraten. omnis terra Chettheorum
usque ad mare magnum contra solis occasum
erit terminus uester. Nullus uobis poterit resistere
cunctis diebus uitae tuae. I
S icut fui cum Mose ita ero tecum. Non dimittam
nec derelinquam te. Confortare et esto robustus tu enim
sorte diuides populo huic terram pro qua iuraui patribus
suis ut traderem eam illis. Confortare igitur
et esto robustus ualde ut custodias et facias
omnem legem quam praecepit tibi Moses seruus meus.
ne declines ab ea ad dextram uel ad sinistram
ut intellegas cuncta quae agis. Non recedat
uolumen legis huius de ore tuo sed meditaberis in eo
diebus ac noctibus ut custodias et facias omnia
quae scripta sunt in eo. Tunc diriges uiam tuam
et intelleges eam. Ecce praecipio tibi. confortare
et esto robustus noli metuere et noli timere quoniam
tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quaecumque perrexeris.
II P raecepitque Iosue principibus populi dicens. Transite
per medium castrorum et imperate populo ac dicite.
P raeparate uobis cibaria quoniam post diem tertium
transibitis Iordanem et intrabitis ad possidendam
terram quam Dominus Deus uester daturus est uobis.
R ubenitis quoque et Gadditis et dimidiae tribui
Manasse ait. Mementote sermonis quem
praecepit uobis Moses famulus Domini dicens.
D ominus Deus uester dedit uobis requiem et omnem terram
uxores uestrae et filii ac iumenta manebunt in
terra quam tradidit uobis Moses trans Iordanem.
U os autem transite armati ante fratres uestros omnes
fortes manu et pugnate pro eis donec det
requiem Dominus fratribus uestris sicut et uobis dedit et possi
deant ipsi quoque terram quam Dominus Deus uester daturus est
eis et sic reuertimini in terram possessionis uestrae
et habitabitis in ea quam uobis dedit Moses famulus
Domini trans Iordanem contra solis ortum. Respon
deruntque ad Iosue atque dixerunt. Omnia quae praecepisti
nobis faciemus et quocumque miseris ibimus. Sicut
oboediuimus in cunctis Mosi ita oboediemus et tibi.

2011 Ministerio de Cultura